MISCELLANEA.

1/ Bohomolec Franciszek, De lingua Polonica colloquium.-Warszawa 1752, Typis S.R.M. in Coll. Soc. Jesu.-K nlb.10.-E_{XIII} Str.225.-

2/ /Kurlandya/, Obiaśnienie niektórych okoliczności ninieyszych względem infeudacyi Xięstwa Kurlandzkiego roku 1758.-Str.31.-E_{XX} Str.390.-

3/ Series Konstytucyi synopticè zebranych ex Volumine legum, dowodząc, że stan szlachecki y duchowny od wszelkiego myta, cła y poboru iest wolny. /B.m.dr.i r./-K nlb.8.- E_{XXVI} Str. 390

4/ Mikrzyński Jakub, Selectae ex universa philosophia conclusiones.-Lublin 1765, Typis S.R.M. Coll. Soc. Jesu.-K nlb.8.-

5/ Discours de reception.-Str.12.-2 egzem.-

6/ Pinabel de Verriere, Seconde lettre sur les événemens qui ont eu lieu à Paris depuis le 10. Juillet 1791. Jusqu'au 8. Septembre 1792. K nlb.6.-

7/ Łojko Feliks, Précis des recherches sur la Poméranie. /B.m.dr.i r./.-Str.18.-E_{XXI} Str.390.-

8/ Łojko Feliks, Réponse a l'ecrit intitulé Exposé de la Conduite de la Cour Imperiale de Russie.-1773.-Str.19.-E_{XXI} Str.390.-

9/ Richesses de l'etat. 1764.-Str.16.- E_{XXVI} Str. 390

10/ Reflexions d'un suisse, sur les motifs de la guerre presente. 1756.-Str.52.-E_{XXVI} Str. 152

11/ Łojko Feliks, Notes justificatives pour le Précis des recherches sur la Poméranie. 1772.-Str.42.-E_{XXI} Str.390.-

12/ Engel Samuel, Précis des recherches sur Galicie ou Halicz et sur Lodomérie ou Włodzimierz. 1773.-Str.12.-E_{XVI} Str. 60.-

13/ Frak na tandecie/około 1799/.-K nlb.2.-E XVI
Str.276.-

DE LINGUA POLONICA COLLOQUIUM

A

SELECTIS

ORATORIÆ FACULTATIS

ALUMNIS

INSTITUTUM

VARSAVIÆ

IN AULA SCHOLARUM

SOCIETATIS JESU

ANNO A PARTU VIRGINIS MDCCLII.

Typis Sacræ Regiæ Majestatis in Collegio
Societatis JESU.

CELSISSIMO PRINCIPI
ANTONIO LUBOMIRSKI
PALATINO LUBLINENSI

Franciſcus Bohomolec Societatis JESU.

C*Um à quodam Viro, non minùs Tibi* PRINCEPS CELSISSIME *quàm muſis addicto didiciſſes, ſelectos in Scholis noſtris Juvenes de nativa ſermonis Polonici integritate declamaturos eſſe, tantopere hoc argumento delectatus es; ut te huic illorum exercitationi interfuturum promiſeris. Hunc nuncium quantâ illi Juvenes lætitiâ exceperint, haud facilè eſt dictu. Quid enim illis aut optabilius, aut honorificentius accidere potuiſſet, quàm tantum ſtudiorum ſuorum teſtem, arbitrumq; habere? Sed negotiorum moles, quæ Tibi eo die ſuſtinenda pro munere fuit, & nos ſperatô ſolatiô, & declamationem iſtam maximô ornamentô privavit. Non deerant tamen nonnulli, non minùs natalium ſplendore, quàm literarum ſcientiâ illuſtres viri, qui illam præſentiâ ſuâ ornarent. Hi cùm rem integram attentiùs perpendiſſent, pro ſua erga Te obſervantia, amoreq; erga Patriam lingvam, hortabantur,*

ut quod auribus Tuis subjicere gestiebam, oculis proponerem: hoc est ut lucubrationem istam umbratilem, sub Nominis Tui splendore, publici juris facerem. Audax primùm consilium istud visum est mihi: verebar enim ne res adeo tenuis Tibi tanto Viro minùs conveniret: sed partim authoritas virorum Tibi addictorum, partim argumenti ipsius dignitas, quæ res etiam exiles illustrare solet, animum meum fluctuantem ad id audendum inclinavit. Illud quoq; ad quærendum Nominis Tui huic lucubrationi præsidium non mediocriter me permovit, quod plurimos ejusmodi homines reperiri non ignorem, qui depravatô judiciô voces peregrinas, inter elegantias lingvæ nostræ reponant, tantoq; se eloquentiores esse existimant, quantò pluribûs ejusmodi vocabulîs sermonem suum infarciant. Isti, si me lacessere voluerint, firmissimum telis, eorum clypeum authoritatem Tuam objiciam. Quis enim est, qui ignoret, quantum tu curæ & industriæ, in expurganda à peregrinis istis quisquiliis lingva nostra collocas, cùm alios exemplô, alios monitis, ad restituendam sermoni Polonico nativam elegantiam exhortaris, illosq; qui in eodem tecum curriculo versantur, singulari benevolentiâ complecteris? Quamobrem si lucubrationem istam tam impensè præsidium tuum quærentem minùs Te dignam judicaveris, argumentum saltem illius, studiumq; nostrum ne respue. Vale.

COL-

COLLOQUIUM
DE
LINGVA POLONICA

Adrastus. Tempus istud, quô animum relaxare à contentione studendi consuevimus, ô socii, ludô aliquô, an eruditis conterere sermonibûs placet?

Olintus. Ego ex ludo voluptatem exiguam capio.

Orlandus. Ego verò me libenter ludendo exerceo; multò tamen libentiûs doctis colloquiis vestris intersum.

Eudoxus. At quibus, amabo, de rebus sermonem instituere velletis?

Adrastus. Eligite id, quod instituto nostro, ingeniisq; excolendis plurimùm conveniat.

Medorus. Res igitur Polonorum præclarè gestas in medium proferemus?

Alcander. Id mihi videtur, exiguo hujus temporis spatio minimè accommodatum esse.

Araspes. Ego vestras de Philosophia recentiorum sententias libenter auscultarem.

Orlandus. Id perquam operosum esset, & studiis nostris minimè conveniens.

Olintus. Hanc quæstionem silentiô prætereundam esse censeo, ne in alieno, ut ajunt, choro pedem ponere dicamur. Quid enim de Philosophia dicemus, cùm Rhetoricis præceptis hucusq; intenti, nondum ejus curriculum

ingressi sumus? Sapientis est autem de illa re, cujus vel nullam, vel modicam tantùm cognitionem habes, nihil decernere: probare autem vel condemnare id, quod Tibi exploratissimum non sit, est hominis minimè cordati.

Alcander. De præstantia igitur linguarum Græcæ, Latinæ, Jtalicæ, Gallicæ disceptabimus?

Adrastus. Majore fortassis fructu de sola nostra lingua differemus.

Olintus. Quid verò.

Alcander. Jejunum id mihi videtur esse argumentum.

Adrastus. Jllustrem sanè & copiosam disputandi materiem habebimus, si consuetudinem illam, quâ peregrina verba Patrio sermoni inserere solemus, discutiamus: nempe sitne abroganda, & delenda, an potiùs servanda, & propaganda ejusmodi consuetudo?

Medorus. Argumentum colloquii nostri vix aptius, utiliusvè posse reperiri existimo.

Alcander. In eandem cum Adrasto sententiam, omnes manibûs pedibûsq; ituros non dubito.

Araspes. Sententiæ Adrasti omnes suffragamur: sed priusquam hanc quæstionem discutiamus, æquum esse censeo, ut causas, ex quibus hæc consuetudo profluxit, inspiciamus.

Eudoxus. Hac de re neminem meliùs disceptaturum esse existimo; quàm Adrastum. Jlli enim & diligens studium rerum antiquarum notitiam, & dicendi facultatem non vulgarem natura est largita.

Olintus.

Olintus. Age Adraſte, non minùs auribûs, quàm animô ſermonem excipiemus tuum.

Adraſtus. Facultatem illam dicendi, quam mihi adſcribitis ſocii, in me quidem minimè reperio: ne tamen inutilibûs excuſationibûs vos longiùs diſtineam, morem voluntati veſtræ geram. Linguam noſtram ex Jllyrica, ſeu Slavonica natam eſse, communis eſt omnium opinio. Ad Sigismundum primum Regem Polonorum, cùm pauci admodum reperirentur, qui notitiam linguarum externarum aliquam haberent, incorruptam floruiſſe nativamq́; elegantiam ſuam retinuiſse ex teſtimoniis ſcriptorum conſtat. Interjectô tandem aliquo temporis intervallô, cùm Sigiſmundus Auguſtus Regni noſtri clavum teneret, reperiebantur non pauci, qui, ut ex Latinæ linguæ ſcientia, famam apud vulgus magna ex parte tunc rude ſibi conciliarent, primùm nonnulla Philoſophorum, Pöetarumq́; dicta, deinde etiam ſola verba Latina Patrio ſermoni inſerere cæperunt. Secuti ſunt iſtos alii, qui, [ut Gregorius Cnapius ait] nihil è ſcholis præter verba, retulerunt: ac non jam familiaria colloquia, ſed etiam epiſtolas, orationes, libros etiam integros ejusmodi vocabulis infarciebant. Jta paucorum à principio peccatum, poſtquam æmulatione imperitorum auctum eſt ac propagatum, tandem eruditorum etiam judicium corrupit.

Olintus. Rectè ac ſapienter, Adraſte, ut ſoles, diſseruiſti. At iis tamen temporibûs, ſolæ Latinæ voces patriis interponi ſolebant; nunc verò ; DEUM immortalem! quid

aliud

aliud eſt lingua noſtra, quàm chaos quoddam ex omnibus omnium nationum linguis conflatum. Jam præter Latinas, Jtalicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, Batavicæ, Britannicæ voces tam in publicos, quàm privatos ſermones noſtros intruduntur. Originem verò & cauſam hujus etiam conſuetudinis, non abſimilem eſse illi, quam Adraſtus attulerat exiſtimo. Plurimi enim adoleſcentes Nobiliſſimi, qui more honeſtiſſimo exteras nationes perluſtrare ſolent, plenas, [ut ſic dicam] ſarcinas peregrinarum vocum in Patriam deferre, easq; rudioribus venditare conſueverunt.

Orlandus. At de cauſa hujus conſuetudinis jam ſatis eſse dictum exiſtimo: nunc, ſitne illa conſervanda, an potiùs abroganda diſcutiamus.

Alcander. Ego conſervandam eſse cenſeo. Omnis enim conſuetudo, quæ longo temporum intervallo firmata eſt, atq à viris doctis approbata, modo honeſta ſit, non facilè abrogari debet.

Medorus. Rectè addidiſti *modò honeſta ſit*: mendicare autem ab aliis vocabula, cùm Patria ſuppetant, quô pactô honeſtum eſse defendes? Neq; conſuetudo iſta Tibi ſuffragatur. Cùm etiam contraria, longo temporum tractu firmata ſit, & à viris doctis uſurpata.

Alcander. Quid igitur? Jgnoras fortaſsis eo tempore, quo piaculum erat, peregrinum vocabulum in Patrium ſermonen inducere, rude, ut ſolemus dicere, ſeculum in Polonia fuiſse, quô vix aliquem reperires, qui

vel

vel modicam externarum linguarum notitiam haberet.

Olintus. Nunc verò?

Alcander. Nunc verò ſeculum eruditum meritò appellatur.

Olintus. O eruditum ſanè ſeculum, quô vix aliquem reperias, qui Patriam lingvam probè calleat! Quis enim eſt, quæſo, iſtis temporibûs, qui omnium vocum Polonicarum propriam ſignificationem, vim, ac naturam perſpectam habeat? Decreveram aliquoties, ô ſocii, ne ſermo meus, quem cum aliis inſtituebam, aliquid peregrini redoleret, neſcio tamen quô fatô id ſemper, nec ſinè indignatione mihi eveniebat, ut vix unum alterumvè verbum patrium protulerim, cùm illico integræ, ut ſic dicam, cohortes illarum vocum, quas vel ex Latio, vel Jtalia, aut Gallia in ſuppetias Linguæ noſtræ adſcivimus, ore loquentis erumperent. Rectè id de nobis dici poſſe exiſtimo, quô doctiſſimus vir, & de lingua noſtra optimè meritus, Gregorius Cnapius ætatis ſuæ homines perſtrinxerat. Vere *id*, inquit ille, *de noſtratibus ſemiliteratis uſurpes, qui non turpe ſibi ducunt neſcire Polonicè: & vix aliquam longiorem ſententiam proferre poſſunt, quin & Latinas & Polonicas voces corrumpant, & ex eis putidos centones farciant.*

Orlandus. Quid igitur? Num idcirco ignari noſtræ ninguæ Tibi videmur, quod ſine adminiculo peregrilarum vocum nullum ſermonem longiorem inſtituere poſſimus? Inſpice, quæſo, in cauſam hujus difficultatis,

& vel invitus fateberis, inopiâ id vocum patriarum, non verò ignorantiâ linguæ noſtræ, nobis evenire.

Eudoxus. Miſeros nos, qui tam inopes vocabulorum ſimus, ut cùm aliquid nobis dicendum eſt, ab aliis nationibus voces mutuari, ac mendicare cogamur! Quæro tamen ex te, mi Orlande, veteres illi Poloni, quos, dixiſtis non adhibuiſſe voces peregrinas, quo pacto in tanta verborum inopia animi ſui ſenſa in vulgus enuntiabant? nutuſnè loco vocum illarum, quæ deerant, ut muti ſolent, ſubſtituebant?

Orlandus. Veteres Poloni

Eudoxus. Quid hæres?

Orlandus. Tunc quidem non deerant verba, ſed multa deinde vel interiêrunt, vel antiquata ſunt.

Eudoxus. Sapienter: at cujus ſocordia id factum eſt, ut tam multæ voces interiêrint?

Orlandus. Cujus ſocordiâ? non ſocordiâ cujuſpiam, ſed temporum injuriâ id evenire ſolet.

Eudoxus. Cur verò eadem temporum injuria nihil de copia, & ſplendore aliarum linguarum detraxit?

Alcander. De inopia linguæ noſtræ immeritò conquerimur Socii: pridem jam iſtas nonnullorum querelas Gregorius Cnapius [a] confutavit, & graviſſimîs argumentîs demonſtravit, linguam noſtram, vocum penuriam non modò non pati, verùm etiam adeo eſſe locupletem ut cæteras etiam linguas copiâ ſuperet.

Eudoxus. Videtis quid iſti homines lingvæ noſtræ impo-

[a] *In Præfatione ad Theſaurum*

imponant! In ejus inopiam id devolvunt, quod negligentiæ suæ, rerumq; novarum studio adscribere deberent. Evolvite indicem vocabulorum Polonicorum à Cnapio concinnatum: DEUM immortalem! quot in eo millia vocum reperietis, quarum nec usum, nec proprietatem, nunc percipimus!

Araspes. At non nôsti illas voces communi omnium conspiratione abrogatas jam esse, & vetustate obsoletas?

Eudoxus. Quidni? sed qua ratione, quæso, abrogatæ sunt? quia videlicet peregrinas aucupando, nostrarum notitiam amisimus.

Araspes. Id non inficior: quid enim vetat obsoletis, ac barbaris elegantiores, magisq; auribus accomodatas, undecunq; sint illæ adscitæ, substituere?

Eudoxus Miror te tam delicatis esse auribus, mi Araspes, qui illa vocabula ferre jam non possis, quæ doctissimi olim viri, Majores nostri, à quibus omnes scientias accepimus, in deliciis habebant! ut enim alios omittam, eloquentissimus ille vir *Petrus Skarga* ob eximiam dicendi facultatem Chrysostomus Poloniæ dictus, poterat coram Regibus, & frequentissimo Senatu sæpiùs illa verba sinè piaculo proferre, quæ tu barbara vocas, & sinè fastidio audire non potes? Kochanovius ille, quem Sarbievius cum antiquis Græcorum Romanorumq; Pöetis conferre non dubitat, quiq; plurium linguarum peritus erat, non erubuit Regum, Principumq; virorum laudes illîs vocibûs. - - - - - - -

Araspes. At illîs temporibûs voces ejusmodi in pretio

fuêre, nunc, ut jam sæpiùs audisti, sunt antiquatæ.

Eudoxus. Sunt antiquatæ! cur verò antiquatæ? Posse quidem nonnullas voces abrogari, cùm illis aliæ elegantiores ex lingvæ tamen patriæ penu depromptæ substituuntur, non diffiteor: sed quæro ex te, Araspes, num elegantiores Tibi videntur, illæ ab exteris emendicatæ quisquiliæ? e g. *awizy*, *bagaże*, *despekt*, *diwertyment*, *dilucidacya*, *deleguię*, *fason*, *facilituię*, *favoryzuię*, *fomentuię*, *equipaż*, *ewiscеruię*, *indagacya*, *interpozycya*, *insynuacya*, *inwalidacya*, *inquietuię*, *kortezy*, *kuzyn*, *luminarz*, *liquiduię*, *mebluię*, *molestuię*, *offerencye*, *oblatuię*, *prepona*, *paryeruię*, *renoma*, *raport*, *rewanżuię*, *angażuię*, *regalizm*, *recype*, *rumіnuię*, *roboruię*, *requiruię*, *suspiry*, *sufficiencya*, *Sakrifikuię*, *subordynuię*, *tergiwersacya*, *werydyk*, *woiażuię*. & alia ejusdem farinæ. Num suaviores etiam illæ reliquæ Polonicæ voces, quæ etiamnum nobis supersunt? Cur non antiquatis etiam illa residua patria vocabula, quibûs hucusq; usi sumus? Sed quid ego tamdiu? Tollite, per me licet, abrogate, delete etiam reliqua verba Polonica, & novum aliquem sermonem, ex omnium nationum linguis conflate, dignum Polonis, dignum auribûs vestrîs delicatissimîs, similemq; illi corniculæ, quæ furtivis aliarum volucrum ornata coloribus, risum aliis excussit.

Araspes. Vehementiùs quàm decuit declamâsti, Eudoxe, ista tamen vociferatiône tua nondum me in eam sententiam pertraxisti, ut peregrinîs verbîs uti nobis liberum non sit. Italis enim, Gallisq; impunè licet

plu-

plurima verba è Latio adſcita ad ſermonem ſuum adhibere, nobis verò idem non licebit?

Orlandus. Sapienter: hic nodus eſt. Audiamus, quid iſti Cenſores dicant.

Olintus. Præclaram ſanè de nobis victoriam retuliſti, Araſpes, age, triumpha. Si tamen aures mihi tuas præbere volueris, efficiam, ut ipſe etiam fatearis, nihil levius, nihil futilius, & fortaſſis ineptius nihil eſſe tuô argumentô.

Araſpes. Quidni? Auſculto.

Olintus. Quod Galli, Italiq; Latinas voces ad leges patriæ Lingvæ formatas uſurpent, non inficior: ſed quæro ex te, Araſpes, Italorum Gallorumq; ſermo, quanam ex lingua ſit profectus? ex Latina, dicas oportet; id enim nemo unquam in dubium vocavit, & tute annuere mihi videris. Nunc amabo, æquumne eſt, ut liberi Parentum ſuorum ſimilitudinem quandam referant & mores eorum nonnullos retineant? id etiam negare mihi, niſi pertinax ſis, nullô pactô potes. Novum igitur tibi, mirumq; videbitur, eas linguas, quæ ex Latina natæ ſunt, præſeferre quandam Latini ſermonis imaginem, & nonnullas voces, ad leges ſuas formatas retinere. Cùm ex veteri ædificio novum conſtruitur, nonne neceſſe eſt, ut prioris ædificii cæmenta in altero reperiantur, quamvis diverſo modo collocata? Eadem profectò ratione etiam ille ſermo, qui ex Latino conſtructus eſt, ac formatus, nonnulla Latina vocabula retinere debet. At noſtræ linguæ quid, quæſo, rei eſt cum Gallica, Germanica,

 Tur-

Turcica, & cæteris, à quibus ſibi voces mendicat, ac mutuatur?

Medorus. Gratias tibi ago immortales Olinte, quod noſtri Araſpis ante victoriam triumphum, ut ajunt, canentis audaciam, illuſtri ſanè argumento repreſſeris.

Araſpes. Jllyrica igitur verba, ex quibus noſtram linguam profluxiſſe affirmatis, licebit uſurpare?

Medorus. Quidni! nihil enim vetat ut filia in partem bonorum parentis ſuæ veniat. Immo ſi diligentiùs rem excuſſerimus, omnia noſtra vocabula Jllyrica eſſe, quamvis diverſo flexu formata reperiemus.

Alcander. At ornamenti ſaltem gratiâ voces peregrinas patrio ſermoni adſpergere interdum licebit. Habet enim neſcio quid ſuavitatis ſplendorisq; ſermo, qui illîs eſt refertus.

Eudoxus. Iugulâſti me, Alcander, hac tua ſuavitate! cur gentes aliæ ejusmodi ſplendorem, ac ſuavitatem in ſermonem ſuum non patiantur induci? Cur e.g. Gallus, cùm illi patriâ Linguâ aliquid proferendum eſt, non adhibet verba Germanica, Polonica & alia hujuſmodi? Cur tu ipſe Alcander, cûm Latinè loqueris, Polonicas, aut Gallicas voces in Latino ſermone non adhibes?

Alcander. Id conſuetudo illis vetat, at nobis eadem ſuffragatur.

Eudoxus. Næ tu homo ridiculus es! quis enim præclaram iſtam tuam conſuetudinem ignorat? nos verò ſitne conſervanda, aut potiùs abroganda ejusmodi conſuetudo, diſpu-

disputamus. Principium igitur, ut Philosophi dicunt, petis, cùm id ipsum, quod in quæstione versatur, pro ratione affers.

Olintus. Rectè, ac sapienter tuo more disseruisti, Eudoxe, Quæ enim alia gens est, quæ linguam suam peregrinîs vocibûs contaminari patiatur? Ne illi quidem populi, quos barbaros vocamus, id ferunt. Cæteris tamen omnibus palmam eripiunt Itali & Galli, qui idcirco cætus quosdam virorum doctrinâ illustrium instituerunt, [Galli nempe Parisiis, Jtali Florentiæ] ut summô studiô ac diligentiâ aditum peregrinis vocibus omnem, ad linguam suam præcludant; et si quam fortè ejusmodi voculam irrepsisse adverterint, illico eam è linguæ suæ finibus ejiciant, proscribant, atq; exiliô plectant sempiternô. Id ipsum ad conservandam Germanici sermonis nativam integritatem castitatemq;, Saxones Lipsiæ moliri, publicâ famâ accepimus. Moschi quoq; strenuam linguæ suæ illustrandæ operam navare incipiunt, & idcirco multis literarum peritis viris cura demandata est, ut celebriores libri Russico incorrupto sermone reddantur. Et inter leges Academiæ Petropolitanæ, undevicesima vetat, ne præter Latinam Russicamq; aliâ linguâ scribatur, *Et diarium & commentationes Academicorum, deniq; omnia quæ ex isto cætu in lucem proferuntur, Latinè aut Russicè scribi debent, Gallicâ autem Germanicâvè linguâ nihil quidquam publicarum rerum traditor (a)* *Ad-*

[a] *De offic: Acad: lege XIX.*

Adrastus. Quamvis magno conatu nonnullæ enitantur gentes, ne illorum lingua peregrinîs verbîs corrumpatur, quis tamen antiquîs Romanîs hac in re diligentior potest esse, qui ne Græcæ quidem linguæ, quam tamen plurimi faciebant, ullam voculam in sermone suo ferre potuerunt. Ut enim alios silentiô prætercam, Tiberius Imperator, teste Suetonio, priusquam Græcam vocem *monopolium* proferret, veniam à Senatu petiit. Idem ex quodam Patrum conscriptorum decreto Græcam vocem *emblemma* ejici jussit, ac peregrinæ Latinam substituendam, vel si facilè reperiri non posset, pluribus, aut per ambitum verborum enuntiandam esse censuit. Princeps etiam non minus eloquentiæ quàm linguæ latinæ Cicero, Lib: 1. offic: *eo sermone nobis utendum*, inquit, *qui notus sit, ne ut quidam Græca verba inculcantes, jure optimo irrideamur*. Horatius quoq; illum Pòëtam qui Latinis carminibus verba Græca inserebat Lib: 1. Satyrâ 10. explodit.

At magnum fecit quòd verbis Græca Latinis
Miscuit, ô seri studiorum, quidnè putetis
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit. At sermo linguâ concinnus utrâq;
Suavior: ut Chio nota si commista Falerni est.

Alcander. Commodissimè de Cicerone mentionem fecisti Adraste; jam te teneo.

Eudoxus. Nunquid ?

Alcander. Antiquos Romanos non potuisse pati in sermone

mone latino voces Græcas dixisti: at Cicero ille tuus, cujus auctoritate jugulare nos voluisti, nobis potiûs, quàm vobis suffragatur. Evolve, si placet, illius ad Atticum epistolas, quin & illas, quas ad Familares suos scriptitabat, DEUM immortalem! quot in illis voces Græcas reperias! Principi igitur eloquentiæ, & Latinæ linguæ Parenti peregrinas voces patriis interponere liberum fuit, nobis idem non licebit?

Araspes. Superi te incolumem servent, mi Alcander, causam nostram fluctuantem, ac prope jam cadentem erexisti. Quid vobis nunc animi est hostes vocum peregrinarum?

Eudoxus. Vicisti Alcander! age! triumpha! memineris tamen non deesse nobis tela; quibûs te triumphantem profligare & victoriam istam è manibus, ut ajunt, extorquere possimus. Quæro enim ex te; illa Græca vocabula, integra, & inviolata, an verò ritu latino inflexa à Cicerone efferebantur? Jntegra, & quidem Græcîs literîs descripta vel invitus fateri debes. Immeritò igitur Ciceronis authoritate abuteris ad propugnandos illos vestros, quos pulcherrimè vocatis *macaronismos*, qui nihil aliud sunt, quàm peregrina verba, ad normam sermonis nostri formata, & contorta. Deinde linguam Græcam præstantissimam, & matrem omnium ferè scientiarum fuisse non ignoras. Quid igitur mirum, si aliqua gravis sententia, aut cujuspiam Philosophi Græci illustre dictum, apud Latinos Scriptores reperiatur? Cûm enim Romani multas

ſcientias arteſq; liberales á Græcis acceperint, neceſſe fuit, ut effata etiam illorum nonnulla, & nomina earum artium apud ſe retinerent. Nos verò non jam ſententiam aliquam; ſed ipſa quoq; verba, neq; ex præſtantioribus tantûm linguis, ſed ex barbaris etiam decerpta, ſcriptis, dictiſq; noſtris perperam ingerimus. Illud quoq; inter noſtram, ac Ciceronis conſuetudinem diſcrimen intercedit, quòd ille perparcè, & neceſſitate coactus vocabulîs Græcîs utitur, nos verò ſinè ullo delectu tot peregrinîs vocibûs linguam noſtram augemus, an potiùs corrumpimus, ut timendum ſit, ne reliqua etiam verba Polonica, quæ jam pauca nobis ſuperſunt, prorſus intereant, nihilq; aliud lingua noſtra ſit, quàm chaos quoddam ex variis variarum linguarum vocibus conflatum.

Olintus. Rectè tu quidem, Eudoxe. Universè tamen omnem poregrinarum vocum uſum damnare non auſim, præſertim cùm id neceſſitas poſtulet: hanc verò ex duplici capite poſſe oriri exiſtimo. Primum eſt, cùm id quod animo in epiſtola denuntiamus, ab aliis ſciri nolumus. Hanc ob cauſam etiam Cicero non rarò uſus eſt in Epiſtolis ſuis Græco ſermone, ut ſcilicet peregrinîs verbîs res arcanas obtegeret. Alterum, cùm res aliqua nomine proprio caret, nec facilè per verborum ambitum explicari poteſt. Hinc Cicero Acad. quæſt. lib. 1. *Nos verô, inquit, Atticus, quin etiam Græcîs licebit utare, cùm voles; ſi te latina fortè deficient. Bene ſanè facis, ſed enitar ut latinè loquar, niſi in hujusmodi verbis, ut Philoſophiam,*

am, aut Rhetoricen, aut Physicen, aut Dialecticen appellem, quibûs ut aliis multîs consuetudo pro Latinis utitur.

Medorus. Neq; ego adeo infestus sum vocum peregrinarum hostis, ut ad illam rem explicandam, quæ patriô vocabulô efferri non potest, peregrinum adhibere nolim. Mallem tamen in locum vocis illius, quæ nobis deest, è Slavonica lingua deprompta vocabula substitui, quâm ex Gallica, Germanica & aliis hujusmodi petita. Multò enim honestius est, linguæq; nostræ conuenientius, ex eo fonte, ex quò sermo noster profluxit, voces desumere, quâm ab aliis linguis mendicare.

Orlandus. At Kochanouius Princeps Pöëtarum nostrorum nulla necessitate impulsus, in celebri illo suo carmine: *Est prope wysokum celeberrima sylva Cracovum &c* Latina verba cum patriis temere permiscet.

Olintus. Etiam tibi, Orlande, cùm ludere jocariq; volueris, carmen ejusmodi condere per nos licebit. In seriis autem idem Kochanouius adeo religiosè verba peregrina vitat, ut neminem Pöëtarum nostrorum reperias, qui puriùs elegantiúsq; illò scripserit.

Alcander. Ego vestrîs ô socii argumentîs jam planè victus sum.

Orlandus. In eandem ego quoq; sententiam adducor.

Adrastus. Nihil æquius est, rationiq; magis consentaneum nihil, ô socii, quâm ut pestem illam peregrinam, quæ paucorum ostentatione nata, plurimorum deinde æmulatione aucta, & corruptîs etiam doctorum virorum judiciîs

con-

conſervata eſt, ex lingua noſtra ejiciamus, ac funditùs extermi-nemus, ne in nos etiam illud intorqueri poſſit, quod Gregorius Cnapius de majoribus noſtris ſcriptum reliquit. *Reliquæ*, inquit ille, *gentes ſermonem ac veſtitum ſuum mordicus tuentur: ſoli nos omnium linguarum & veſtium, dicam omnium horarum Vertumni & Prothei eſſe pergemus.* Enimverò ſi diligentiùs rem excutiamus, nullam aliam gentem, quantumvis rudem ac barbaram, omniſq; ſcientiæ expertem reperiemus, quæ linguam ſuam peregrinîs vocibûs contaminari patiatur. Sed quid ego alias appello gentes? Ipſi nos Poloni, cùm latinè, Gallicê, aut Germanicè colloquimur, num Polonica, aut alia hujusmodi vocabula in hunc ſermonem intrudimus? Cur igitur ad ſolam linguam noſtram, tanquam publicum quoddam diverſorium peregrinis iſtis vocibus aditus non intercluditur? Cur ſoli nos - . . Sed pluribûs abſtineo, ne ridiculæ hujus conſuetudinis amatores, vehementiùs in me concitem. Gaudeo tamen vehementer ô ſocii, in eam vos tandem ſententiam conſpirâſſe, ut linguam veſtram à peregrinis iſtis quisquiliis expurgare in animum induxeritis. Reſtat, ut omnia veſtra ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in eo figatis, ut in veſtris ſcriptis ſermonibusq; voces peregrinæ nunquam audiantur. Id ſi pro veſtris viribus præſtiteritis, & linguæ noſtræ nativam integritatem, & vobis ipſis gloriam comparabitis immortalem.

Ad

M. D. G.